






0788.

72. 1592, 1

3  
198  
81



CENTVRIA CON-  
CLVSIONVM,

DESPONSALIBVS  
ET NVPTIIS,

EX IVRE CIVILI ET CANONICO,

QVAS  
D. T. O. M. A.

PRÆSIDE  
MAGNIFICO, NOBILISSIMO  
ET CLARISSIMO VIRO DN.

NICOLAO REVSNERO IC. IL

LVSTRISSIMORVM DVCVMS SAXONIAE  
CONSILIARIO, ET IN ILLVSTRI SALANA  
ACADEMIA IENENSI COLLEGII IV-  
RIDICI SENIORE, ET ANTE-  
CESSORE PRIMARIO &C.

PRO GRADV DOCTORIS IN  
VTROQVE IVRE CON-  
SEQVENDO,

PROPONIT PVBLICE DI-  
SPVTANDAS

IACOBVS STINTIVS

HAMBVRGENSIS,

ADD. XI. KALEND. IANVARIJ,

MANE HORA VII. IN NOVA ACRO-  
ASI IVRISCONSVLTORVM.

ANNO CHRISTI θεαυθωπιε  
CIO IO XCII.

IENAE TYPIS TOBIAE STEINMANNI.

*Clarissime virtute, et omnium artium doctrina ac scientia  
illustissimo viro, dno Othoni Schurzlemburg, philosopho*



DEO VNI TRINO,  
AVSPICI NVPTIARVM  
OPT. MAX.  
sacrum.

PLATO LIB. IV.  
DE LEGIB.

Γαμείν δὲ δεῖ διανοηθέντα, ὡς ἔστιν ἢ τὸ ἀνθρώπινον γένος φύσει ἰνὴ  
μετελλήφεν ἀθανασία, ἔτι καὶ πέφυκεν ἰσχυρὰ ἰσχυρὰ ἰσχυρὰ πᾶ-  
σαν. Τὸ γὰρ γένος κλεινὸν καὶ μὴ ἀνώνημον καὶ τελελευτηκότα. ἔ-  
τις τὰ ἐστὶν ἰσχυρὰ. γένος ἐν ἀνθρώπων ἐστὶ τὸ συμφύεσθαι πάντος  
χρόνου, ὁ δὲ τέλος αὐτῶ συνέπει καὶ σωφεί τῆ τῶ τρόπῳ ἀθά-  
ναλον ὄν, τῶ παῖδας παίδων καὶ ἀλιπόμενον, ταύτην καὶ ἐν ὄν ἀεὶ γένος  
τῆς ἀθανασίας μετελλήφεναι. Τῆς δὲ ἀποσερεῖν ἐκόντα ἐαυτὸν ἐδέποισε  
ἔστιον, ἐκ προνοίας δ' ἀποσερεῖ, ὅς ἀν παίδων καὶ γυναικὸς ἀμελῆς

NOVELL. CON-  
STIT. XXII.

*M*atrimonium sic est honestum, ut humano ge-  
neri videatur immortalitatem artificiosè in-  
troducere, ἔτι ex filiorum procreatione renovata  
genera manent.



299

DE SPONSALIBVS  
ET NVPTIIS.

ΣΤΝ ΘΕΩ,  
THESIS I.



**L**N MATRIMONIIS CONTRAHENDIS ICTOS DUO PRÆCIPUÈ AD RITUS PERTINENTIA USURPASSE VOCABULA CONSTAT, SPONSALIA & NVPTIAS, QUEMADMODUM PATER TOT. TIT. FF. & C. DE SPONSALIB. a: NOS QUONIAM SPONSALIA MATRIMONIUM PRÆCEDUNT b, ATQUE EIVS INITIUM SUNT, PRIUS DE SPONSALIBUS, POSTERIUS DE NVPTIIS DISPICIAMUS,

a *Hotom. de iure Connub. lib. obser. singul. Beust. de Sponsal. in pr. b l. quæsitum est 9. ff. h. t. l. cum hic status 32. §. si quis sponsam ff. de donat. inter vir. & uxor. VVesenb. in parat. num. 2. hic.*

II.

Sponsalia dicta sunt à spondendo. Nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras, unde sponsi sponsæq; appellatio est.

*l. 2. 3. ff. h. t. Gell. lib. 4. noct. Attic. cap. 4. Varro lib. 5. de ling. lat.*

III.

Sunt autem sponsalia mutua repromissio futurarum nuptiarum, ritè inter eos quibus iure licet facta.

*l. 1. ff. eod. VVesenb. in parat. num. 2. ff. h. t.*

A 2

Hæc

IV.

Hæc iure civili sunt unius generis, & quamvis hodie nudo consensu seu pacto constituentur, quod olim stipulatione & sponsione fiebat, nihilominus vetus nomen retinent.

*d. l. 2. l. 4. ff. eod. Cuiac. in parat. ibidem.*

V.

Sublatâ divisione, quâ olim apud Græcos in duplicia, simplicia & solemnia dividebantur, ex novell. constit. Alexii Comneni Imperat. cap. 3. & 4. atque eâ etiam, quæ alia de præsentis, (quæ ipsum sunt matrimonium) alia de futuro dicuntur, repudiata, utpote quæ iure civili incognita à Canonistis introducta est.

VI.

Vera divisio sponsaliorum hæc videtur, quod sint vel simplicia sive nuda, vel firmata.

*Hostiens. in sum. de sponsal. & matrim. num. 4. Azo in sua sum. aur. C. h. t. num. 4.*

VII.

Illa dicuntur cum Sponsus Sponsæ nudè & simpliciter promittit, quod eam uxorem ducere velit: firmata sunt, quæ arris intervenientibus, vel pignoribus loco arrarum datis vel interveniente annuli subarratione, vel fide & iuramento interposito contracta sunt.

*De quib. DD. & Canonistæ ext. de sponsal.*

VIII.

Causa efficiens sponsaliorum, iure veteri fuit stipulatio & mutua repromissio.

*d. l. 1. 2. & 3. VVesenb. in parat. num. 4. h. t.*

IX.

At hodie sponsalia absq; verborum solemnitate contrahuntur solo consensu, tam eorum qui coniunguntur, quam quorum sunt in potestate.

*d. l. 4*

*d. l. 4. ff. eod. l. in sponsal. 7. l. sponsalia 11. cum ll. seqq.  
ff. h. t. Vuesenb. ibid.*

X.

Intelligitur tamen filia patri, & hic illi, semper consentire: nisi uterq; evidenter dissentiat, & aperte dissensum exprimat.

*d. l. in sponsal. & l. sed qua 12. ff. eod.*

XI.

Quod Accursius etiam in filio locum habere asserit.

*d. l. in sponsalib. Et ibi Vuesenbec.*

XII.

Tunc autem solum dissentienti a patre licentia filiae conceditur, si indignum moribus, vel turpem sponsum eligat.

*d. l. sed qua.*

XIII.

Alias dissentiente filia pater iure civili eam exheredare potest.

*in xta novell. 115. cap. 3.*

XIV.

Quod tamen ita demum admittimus, si filia idcirco dissentiat, ut potius vitam luxuriosam agat.

*d. novell. 115. c. 3. & l. si filiam. 19. C. de inoff. testam.*

XV.

Nam ex iusta causa oblatas a patre nuptias impunè deprecari potest.

*Argum. l. cum te 18. & l. filia 20. C. de inoff. testam.*

XVI.

Ideoq; illud de exheredatione filiae, neque iure Pontificio, neque moribus nostris obtinere asserit Vuesenbecius, cum matrimonia omninò debeant esse libera.

*a in parat. num. 4. h. t. ff. b c. Gemma. c. requisivit, c. Cum locum ext. eod.*

A 3

Contra.



XVII.

Contrahere sponsalia possunt maiores, non etiam minores VII. annis,

*l. in sponsalib. 14. ff. h. t.*

XVIII.

Septimus enim annus completus esse debet *a*, nisi fortè intellectus eam ætatem præveniat *b*: Nam sufficit contrahentes scire & intelligere quid agant *c*.

*a c. litteras & c. accessit, ext. de desponsat. impub. b c. Iuvenis, ubi gloss. ext. de sponsal. c. d. l. in sponsalib. 14.*

XIX.

Imò sponsalia ante septimum annum contracta, post septimum annum legitimo interveniente consensu confirmantur.

*d. c. accessit, de desponsat. impub.*

XX.

Ita tamen ut non ex die, quo contracta, sed quo confirmata sunt valeant.

*arg. l. 4. in fin. ff. de offic. procons.*

XXI.

Ex quo apparet malè Interpp. simpliciter dicere sponsalia contrahere posse omnes, qui & nuptias,

*in l. oratio 16. ff. de sponsal.*

XXII.

Materia sponsaliorum sunt futuræ nuptiæ, de quibus ultro citroque datis arris in his solet tractari & conveniri, Sponsalia enim ob spem futurarum nuptiarum contrahi solent.

*d. l. 1. h. t. Et ibi VVesenbec. in parat. Vnde veteres speratum & speratam desponsos vocarunt, test. Non. Marcell. qui tamen etiam asserit propriè speratam dici virginē qua petatur, post dici promissam, vel pactam vel sponsam.*

Forma



XXIII.

Forma iure veteri in stipulationibus, testationibus & cautionibus de præstanda certa pœna constabat.

*d. l. 2. d. l. in sponsalib. ff. h. t. Et ibi Wesenbec. in parat.*

XXIV.

Imò nonnunquam sponsalia interveniente osculo fuere contracta.

*l. si à Sponso 10. C. de donat. ant. nupt.*

XXV.

At hodie sponsalia nudo consensu, & qualicunq̃ue promissione contrahuntur.

*d. l. 4. ff. h. t. c. cum apud & c. tua, ext. eod.*

XXVI.

Et propterea hodie ea tam inter præsentēs, quam inter absentes, per nuncium, per litteras, vel per procuratorem: item in præsens, aut in futurum, purè, in diem, & sub conditione concipi possunt.

*d. l. 4. ff. h. t. & ibid. DD. & l. in sponsalib. 18. eod.*

XXVII.

Sic etiam hodie sponsalia per iusiurandum & annuli traditionem fieri possunt.

*c. de illis, c. præterea, & c. ex litteris, ext. de sponsal. c. ult. de desponsat. impub. c. si quis desponsaverit, 27. q. 2.*

XXVIII.

Itaque si iuvenis fidei conjugalis nomine puellæ det anulum, quem illa tacens accipiat, contrahi dicuntur sponsalia, quia videtur anulum in eam causam accipere, qua fuit datus.

*Wesenbec. in parat. num. 6. h. t.*

XXIX.

Finis sponsaliorum est, ut matrimonium contrahatur. Sponsalia enim aditum ad nuptias præparant, & propter has



has contrahuntur. Igitur de iis nunc iusto ordine tractandum.



XXX.

**N**UPTIÆ (quæ à nuptu, id est, opertione & velamento appellatæ sunt *a*) Sive matrimonium sunt, viri & mulieris legitima coniunctio, individuum vitæ consuetudinem, & divini ac humani iuris communicationem continens *b*.

*a c. nec illud 30. q. 5. Var. ling. lat. cap. 4. & apud Festum Aelius & Cincius. b l. 1. ff. de rit. nupt. §. 1. l. de patr. potest.*

XXXI.

Matrimonium variè distingui solct. Nam aliud iustum dicitur aliud iniustum *a*, sicut & uxor alia iusta, alia iniusta vocatur *b*.

*a In princ. tit. 1. de nupt. b l. si uxor. 13. §. 1. ff. ad l. Iuli. de adult.*

XXXII.

Iustum est, quod secundum leges, vel legum præscripta contrahitur, & propriè matrimonium dicitur *a*. At iniustum est, quod fit contra leges *b*.

*a d. princip. tit. Instit. de nupt. b §. ergo non omnes, ubi not. l. eod.*

XXXIII.

Deinde matrimonium dicitur aliud primum, aliud secundum. Primum vocatur, quod semel est contractum, at secundum quod secundò contractum est: ut cum vir vel femina ex viduo statu ad secunda vota transit.

*not. t. C. de secund. nupt.*

Et hoc

XXXIV.

Et hoc matrimonium vel immaturitatis, vel intemperantiae reprehensionem habet. Immaturitatis, si femina contrahat intra annum luctus *a*. Nisi forte ex rescripto ei citius nubere sit permiffum *b*.

*a* l. 1. & l. 2. C. de secund. nupt. *b* l. 4. C. ad Sctum. Tertull. Luctus femina potissimum in continentia consistit; olim etiam in habitu, non hodie, l. decreto 15. C. ex quib. caus. infam. irrog. Causa annui luctus est partim confusio sanguinis, & partim memoria & reverentia defuncti mariti, not. Cuiac. in novell. 22. Borcholt d. tractatu de gradib. Harmenop. lib. 4. Epit. t. 6. l. liberorum ff. de his qui notant. infam. l. alia causa est, solut. matrim. l. unica. de rei uxor. act.

XXXV.

Intemperantiae reprehensionem secundum matrimonium habet, si post annum luctus contrahatur existentibus liberis ex priori matrimonio.

*l. 3. cum seqq. C. de secund. nupt.*

XXXVI.

Et haec intemperantia tam in mare, quam in femina coercetur: quia semper prioris matrimonij liberis prospiciendum est.

*d. l. 3. cum seqq. C. d. t.*

XXXVII.

Præterea aliud matrimonium dicitur publicum, aliud clandestinum. Publicum est, quod fit palam & testato: clandestinum est, quod fit clam & remotis testibus.

*De quo tot. tit. ext. de clandest. desponsat. & c. aliter, c. nullus 30. q. 5.*

XXXVIII.

Causa efficiens matrimonii vel est remota, vel propinqua. Remota est ipse **D E V S**: propinqua est consensus seu

**B**

sus seu



sus seu mutua affectio eorum, qui contrahunt, quorumq;  
sunt in potestate.

*d. l. 2. de ritu nupt.*

XXXIX.

Causa materialis, vel causa sine qua non, est coniun-  
ctio corporum. Hæc enim si fortè fieri non potest, etiam  
matrimonium contrahi non potest.

*arg. l. 4. ff. de rit. nupt.*

XL.

Forma matrimonij in legitima coniunctione consistit.  
Hæc ita dicitur, si contrahentes sunt cives Romani, si sunt  
iustæ ætatis: si consensus ritè intervenerit: si denique neq;  
naturâ, neque legibus prohibeantur.

XLI.

Cives itaq; Romani contrahentes esse debent: quia  
hi soli inter se, iustas nuptias contrahunt.

*d. pr. t. Instit. de nupt.*

LXII.

At hodie sublata servitute ex iure Canonum etiam in-  
ter servos est coniugium *a*, quod iure civili contuberni-  
um fuit appellatum *b*.

*a c. 1. & c. ult. de coniug. serv. b l. 8. C. de incest. &  
inutil. nupt. l. servi C. ad l. iul. de adult. l. cum ancillis C. de  
incest. nupt.*

XLIII.

Præterea contrahentes debent esse iustæ ætatis: Ritè  
enim masculi nuptias non contrahunt, nisi XIV, & femi-  
næ, nisi XII. annum compleverint.

*d. l. minorem 4. de rit. nupt. d. l. si uxor 13. S. si minor.  
ff. ad l. iul. de adult. d. pr. l. h. t.*

XLIV.

Non autem contrahentes cives tantum Romani & iu-  
stæ æta-

stæ ætatis esse debent, sed etiam adhuc ad formam matrimoni CONSENSVS requiritur, sine quo, secundum Paulum, nuptiæ consistere non possunt, nisi scilicet consentiant omnes, hoc est, qui coeunt, quorumque in potestate sunt.

*d. l. 2. de rit. nupt.*

**XLV.**

Itaque non cogitur filiusfam. uxorem ducere, quia abest verus consensus.

*l. non cogitur, 21. cum l. seq. ff. de rit. nupt.*

**LXVI.**

Adeo autem consensus patris necessarius est, ut veluti auctoritas & iussu præcedere debeat.

*d. pr. 1. Instit. de nupt.*

**LXVII.**

Consentire tunc pater videtur, si sciens contrahi nuptias non contradicit.

*l. si ut proponis 5, C. de nupt. l. in sponsalib. 7. §. 1. ff. h. r.*

**LXVIII.**

Nec iure Canonico aliud introductum putamus.

*Ut constat ex Canone aliter, 30 q. 5. & alijs infinitis textibus, & probat Corras. lib. 1. Miscell. cap. 17. Borcholten latè in tract. de gradib.*

**LXIX.**

At iure civili matris consensus non requiritur *a*: qui tamen requiritur iure divino & naturali, quia hoc iure omnibus parentibus æqua debetur reverentia *b*.

*a l. 1. C. de nupt. b l. parentes 6. ff. de in ius vocand.*

**L.**

Sic etiam consensus propinquorum & curatorum non requiritur, quia eos qui contrahunt non habent in potestate.

*l. in copulandis 8. C. de nupt. §. femina 1, de adopt.*

**B 2**

**Sed**



## L I.

Sed si minores XXV. annis patre sint orbati, horum consensum requiri putamus.

*l. in coniunctione 20. C. de nupt. & l. vidua 18. C. eod.*

## L II.

Etsi enim iure civili in nuptiis liberorum emancipatorum consensu parentis non fuit opus, quia per emancipationem patria potestas fuit dissoluta *a*, tamen si emancipati fuerint minores XXV. annis, pater omnino consentire debuit *b*.

*a l. filius emancipatus ff. de ritu nupt. b d. l. vidua 18. d. l. in coniunctione 20. C. de nupt.*

## L III.

Vnde videmus iure municipali passim hodie constitutum, ut non patris tantum, sed etiam matris, tutorum & curatorum consensus, in contractu matrimonii intervenire debeat.

*Id quod strictè observari in Republica Argentinensi intelligo, Et videatur Beust, cap. 21.*

## L IV.

Et hic parentum consensus adeo ad liberorum matrimonia est necessarius, ut nisi interveniat, iniustæ nuptiæ, iniusti liberi, nullaque dos intelligatur, filiique in potestate parentis non sunt, nec ei succedunt.

*S. si adversus ea l. h. t. & l. Paulus 11. ff. de stat. hom. l. si uxor ff. ad l. l. de adult. Petrus Costalius in l. 19. ff. h. t.*

## L V.

Dissensus tamen parentum matrimonia iam contracta ob publicam utilitatem non dissolvit.

*l. 1. ff. de lib. exhib. Beust. de matrim. cap. 46. Paulus lib. 3. sentent. cap. 19.*

Quod

## LVI.

Quod si tamen parens captivus sit, vel furiosus, vel mente captus, vel diutius absens, vel deportatus, vel fraude nolit consentire, dotem dare, & conditionem liberis quærere, voluntas eius minimè expectanda erit.

*l. 5. ff. de iur. dot. l. 9. cum seqq. ff. de rit. nupt. princ. tit. I. de nupt. l. si furiosi 25. C. de nupt. l. 28. C. de Episc. audient. l. si pater, l. ult. C. de sentent. pass. l. 1. ff. de bon. poss. cont. tab. l. 19. ff. de rit. nupt. l. 1. l. 20. C. de nupt.*

## LVII.

Atque tantum de consensu, cui contrarius est error, dolus, metus.

*l. in omnibus 57. ff. de obligat. l. 15. de iurisdic. l. 116. l. 76. ff. de reg. iur. l. 1. quod met. caus. l. 18. ff. de reb. cred.*

## LVIII.

Error in qualitate non vitiat initium matrimonium, nisi saltem si quis, cum virginem se ducere putaret, corruptam ab alio duceret.

*arg. l. 9. l. 14. ff. de contrah. empt. l. 21. §. 2. ff. de act. empt. Deuter. c. 20. 21. 22. Matth. 1. 19. Leo Const. 93.*

## LIX.

Dolus, metus, & furor tunc viciant, quando sunt sine consensu.

*l. 14. C. de nupt. l. 8. de sponsal. l. 22. §. si maritus, solut. matrim. l. 16. §. ult. de rit. nupt. Vide Leonis Constit. 111. & 112.*

## LX.

Præterea nuptias contrahunt omnes, qui lege vel naturâ non prohibentur. *a.* Naturâ prohibentur furiosi *b.* Impuberes *c.* impotentes, ut frigidi, Eunuchi, & similes.

*a l. cum apud 23. de sponsal. & matrim. b c. 2. l. 16. §. fin. ff. de rit. nupt. l. patre 8. ff. de his qui sunt sui vel alien. iur. c. neg. furios. 32. quæst. 6. c l. 4. minorem ff. h. r. l. 1. l. 14. ff.*

B 3

de spon-

*de sponsal. d. l. in causis, C. de repud. tot. tit. ext. de frigid. & malefic.*

LXI.

Lege prohibentur nuptiæ inter parentes & liberos in infinitum *a*: Itemque inter eos qui sunt loco parentum ac liberorum, & inter fratres ac sorores tantum: Iure verò Canonico ex latere nuptiæ usq; ad quartum gradum, quem computant, sunt prohibitæ *b*.

*a l. 53. nuptial. ult. ff. h. t. d. §. ergo non omnes l. h. t. Ulpian. in fragm. tit. 5. §. 6. l. nemini 5. C. de nupt. tot. tit. C. de incest. & inutil. nupt. c. huic igitur 2. q. 3. Wesenbec. ad S. fratres verò 2. Inst. de nupt. b c. non debet §. prohibitio de consang. & affinit. Wesenbec. in parat. num. 4. ff. eod.*

LXII.

Hac ratione matrimonium quoque impedit affinitas, quæ est inter fratres & sorores, Item inter eos, qui parentum liberorumve loco sunt. Nam ad fratres quod attinet, certè nec levir fratriam, nec sororius glorem uxorem ducere potest.

*l. fratris 5. C. de incest. & inutil. nupt.*

LXIII.

Ad alios verò quod attinet, non potest quis socrum vel nurum, vel privignam, vel novercam, imò nec quoq; profoceram aut pronurum, aut privigni filiam, aut novercæ matrem in matrimonium ducere.

*l. adoptivus 14. §. nunc videamus, cum l. seq. ff. de ritu nupt. §. affinitatis l. de nupt.*

LXIV.

Publica quoque honestas matrimonium impedit. Nam in coniunctionibus, teste Modestino, non solum, quid liceat, sed & quid honestum sit considerari debet.

*l. semper 197. ff. de reg. iur. l. 144. ff. eod. l. semper ff. de rit. nupt.*



305  
rit. nupt. 1. ad Corinth. c. 5. & 10. Exempla sunt in l. si qua  
mibi 12. §. 1. Et l. sciendum 32. ff. de ritu nupt.

LXV.

Spiritualis quoque cognatio impedit nuptias, quod  
tamen moribus nostris non observatur.

l. si quis 26. C. de nupt. tot. tit. extra de cognat. spirituali  
Vvesenbec. in parat. hic num. 4.

LXVI.

At iure civili matrimonium prohibetur ratione pote-  
statis & tutelæ. Ratione potestatis ideo, quia is qui in pro-  
vincia officium aliquod administrat, inde oriundam vel  
domicilium habentem iure civili uxorem ducere nequit.

l. si quis officium 38. in princ. l. præfectus 63. ff. de rit. nupt.

LXVII.

Ratione tutelæ verò, quia Scto cautum est, ne tutor  
pupillam vel filio suo, vel sibi nuptam collocet a: ne sci-  
licet ratio tutelæ reddendæ cohibeatur b, & ne pupillæ  
in re familiari ab his circumscribantur, qui eis rationes  
reddere tenentur c.

a l. Scto 59. ff. de rit. nupt. b l. non solum 67. §. sed vis  
deamus ff. d. t. c l. libertum 64. ff. d. t.

LXVIII.

Quæ tamen & ipsa hodie moribus nostris in plerisque  
locis abolita sunt.

LXIX.

Ex prædictis non ineleganter quæritur? An etiam di-  
spensatio hic admittenda sit? Certè ut Vejovis istius Ro-  
mani dispensationem repudiamus: Ita legitimi magistratus  
authoritatem in nuptiis iure civili prohibitis multum vale-  
re arbitramur a. In iure naturali seu gentium vetitis, ne-  
mini quid concedendum erit b.

a Num. cap. ult. l. 31. si Senatorij. l. 48. §. 1. ff. de rit.  
nupt.

nupt. novell. 89. cap. 3. novell. 117. c. 6. l. 26. §. 1. 2. 3. C. de nupt.  
Fac. l. 38. ff. de adopt. c. referente, ext. qui sint filii legit. c. ad au-  
diendum, c. sponsam, ext. de sponsal. b Levit. 18. & 20. l. 4. in  
fin. C. de incest. nupt. l. 57. qui in §. 1. de rit. nupt. arg. §. ult.  
l. de iur. nat. gent. & civil. Beust. d. tract. de matrim. c. 56.

L X X.

Sed & eodem tempore plures uxores habere non licet  
sub poena infamiæ: quemadmodum nec duas sponfas. Mi-  
tius tamen habentes simul & eodem tempore duas sponfas  
puniuntur.

d. §. affinitatis, in fin. cum §. seq. Instit. h. t. l. 1. ff. de his  
qui notant. infam. l. cum qui C. ad l. Jul. de adult.

L X X I.

Hodie ex Constit. Carol. V. bigamus ultimo supplicio  
afficitur.

Constit. crimin. Carol. V. artic. 121.

L X X I I.

Porro contrahuntur nuptiæ purè & sub conditione,  
proinde possibilis & honesta conditio adiecta matrimonio  
(secus si turpis aut impossibilis sit conditio, nam hæc pro  
non adiecta habetur a) actum in conditionis eventum  
suspendit, nisi postea alius consensus purus, vel carnalis  
copula sequatur.

a c. 1. de condit. appos. & ibi gloss. c. si conditiones, fin.  
§. licet de condit. appos. b c. 1. & c. per tuas 6. ibi gloss. cum  
c. seq. ext. de condit. appos. Hostiens. in c. qua conditio, c. cui  
§. ille verò, de spons. & matrim. in 6.

L X X I I I.

Finis matrimonii præcipuus est liberorum procreatio,  
quæ est seminarium, Ecclesiæ & Reipubl. Et hic finis ad sum-  
mum finem, qui est ipse Deus, referri debet. Nam ut Plas-  
to lib.

306

to lib. 9. de legib. testatur, ideo nos matrimonium con-  
trahere oportet, ut alios pro nobis Deuo cultores relin-  
quamus.

#### LXXIV.

Restat quid de iurium communicatione inter virum  
& uxorem sit statuendum. Planè uxor in mariti potesta-  
tem ex hac causa transit *a*, cui & tenetur ad obsequia, op-  
peras *b*, debitam benevolentiam *c* & reverentiam *d*,  
& quem sequi tenetur *e*, utpote quæ propter virum, &  
ex viro condita est *f*.

*a* l. 2. in verbis Si sui iuris. l. quoties 29. solut. matrim.  
l. 1. & 2. de lib. hom. exhib. l. 24. de adult. l. 11. C. de nupt.  
Num. 30. 1. Corinth. 14. vers. 34. Ephes. 5. 22. 1. ad Timoth.  
2. 12. & cap. 5. 14. vers. 1. Pet. 3. 6. lib. 2. Reg. c. 4. 24. Genes.  
2. in fin. c. hac imago, & c. est ordo, c. mulier debet 33. q. 5. b  
l. sicut 48. de operis libert. Genes. 2. & 3. Hester. 1. & 2. cap.  
c 1. Corinth. 7. d d. l. alia 14. in fin. solut. matrim. 1. Pet.  
3. ad Ephes. 5. vers. 33. e Genes. 12. 20. 24. 31. Exod. 4. 1.  
Samuel. 27. l. 1. Cod. de incest. nupt. l. 2. de lib. hom. exhib. l.  
11. C. de nupt. f 1. Corinth. 11. Gen. 3. vers. 18.

#### LXXV.

Hinc item maritus fructus dotales, & quicquid con-  
stante matrimonio lucri accedit sibi acquirit *a*, pro oneribus  
matrimonii *b*.

*a* l. si Quintus, de donat. inter vir. & uxor. l. 6. etiam C.  
d. t. b l. 20. pro oneribus C. de iure dot. l. 75. in fin. l. 10. S.  
3. l. 7. ff. de iure dot.

#### LXXVI.

Econtra etiam uxor cum marito una caro fit *a*, &  
perpetuum vitæ consortium *b*, & potestatem corporis  
eius nanciscitur *c*, & familiæ dignitatisque maritalis *d*,  
Itemq; fori & domicilii *e*, (quæ iura etiam vidua retinet *f*)  
particeps fit.

C

a Gen.

a Gen. 2. in fin. 1. Corinth. 14. b l. 1. ff. rer. amot. §. 1.  
Instit. de patr. potest. c 1. Corinth. 7. vers. 23. Malach. 2.  
14. c. non debet, de consang. & affin. d l. 1. §. 15. ff. ad Sctm  
Sillan. l. 13. mulieres C. de dignit. lib. 12. l. final. C. de nupt. l.  
femina 8. cum seq. de Senat. e l. 5. de rit. nupt. l. cum qua-  
dam 10. de iurisdict. l. 22. §. 1. l. 32. 37. in fin. ff. ad municipi-  
pal. l. final. C. de incol. l. Cum in te C. de donat. ant. nupt. l. 4.  
Ceterum §. mulieri, de usu & habit. c. clericum 11. q. 1. f l.  
fili 22. §. vidua ad municip. l. fin. C. de privileg. Schol. lib. 12.  
novell. 22. c. 36. l. 11. C. de nupt.

LXXVII.

Hinc maritus etiam uxorem cum liberis alere a, de-  
fendere b, & bona eius administrare tenetur c.

a l. unica §. 9. C. de rei uxor. act. l. si cum dotem 22. §.  
sin autem 8. solut. matrim. l. si filia 20. famil. ercisc. l. dotis 7.  
de iur. dot. l. penul. ut in possess. legat. b l. 1. §. fin. & l. 2. ff.  
de iniur. §. patitur l. eod. c l. 3. de iure iur. & arg. l. maritus  
21. C. de procurat.

LXXVIII.

Satis de matrimonio contrahendo, & contracto ha-  
ctenus egimus. Iam instituta methodus exigit, ut de eius  
dissolutione agamus.

LXXIX.

Dirimitur autem matrimonium morte, bonâ gratiâ &  
divortio.

LXXX.

Mors alterutrius vel viri vel uxoris matrimonium sol-  
vit.

l. 1. ff. de divort. novell. 22. c. 20.

LXXXI.

Bonâ gratiâ matrimonium dirimi dicitur, si dulciter  
sine querelâ, & sine libello repudii solvitur.

LXXXI

*Iuxta d. novell. 22. c. 4. ubi not. Cuiac. Borcholten in  
tract. de grad. mihi fol. 42.*

LXXXII.

Et hoc fit vel sine causa, quod Imperator Iustinianus  
planè prohibuit, aut fit certis ex causis. Certæ autem  
causæ in iure enumerantur debilitas, monachismus, servitus  
& captivitas.

*In novell. 117.*

LXXXIII.

Propter debilitatem mariti dirimitur matrimonium  
etiam sine repudio, modo adsit triennii oscitatio.

*d. novell. 22. c. 6.*

LXXXIV.

Et tunc dos sine ulla deminutione restituitur: at do-  
nationem propter nuptias maritus retinet.

*d. novell. 22. cap. 6.*

LXXXV.

Sic etiam ex parte uxoris matrimonium solvitur ob  
viciu, cuius fit mentio.

*in l. queritur 14. §. mulierem ff. de adilit. edict.*

LXXXVI.

Deinde Monachismus ex iure Authent. matrimonium  
dirimit, & quidem viro eligente solitariam vitam redditur  
mulieri dos, & ex donatione propter nuptias lucrum,  
quod sibi mulier pacta est, in casu mortis: at muliere talem  
vitam eligente, retinet donationem propter nuptias, & ex  
dote lucrum, de quo convenit in casu mortis.

*d. novell. 22. c. 5.*

LXXXVII.

Præterea servitus alterius conjugis solvit matrimoni-  
um, quia servitus superveniens nihil à morte distat, ut  
asserit Imperator Iustinianus b,

C a

a. d. l. 1.



a d. l. 1. ff. de divort. b d. novell. 22. c. 9.

LXXXVIII.

Tandem quoque captivitate olim matrimonium fuit  
diremptum, sicut alia servitute.

d. l. 1. de divort. l. si ab hostib. 10. l. si quis 56. ff. solut. ma-  
trim. l. in bello & §. medio ff. de capt. & postlim revers.

LXXXIX.

Hodie non statim solvitur. Nam ille vel illa, qui quæ-  
re in civitate mansit, ius secundi matrimonii non habet,  
quàm diu scit superesse captivum, nisi velit mulctari mulier  
dote, & vir donatione propter nuptias: at si nescit, an ca-  
ptivus adhuc vivat, expectare debet quinquennium, quo  
elapso impunè ad secunda vota transit.

d. novell. 22. c. 14. ubi notat. Cuiacius.

XC.

Divortio matrimonium dirimi certum est.

d. l. 1. l. 2. ff. de divort.

XC I.

Est autem divortium (quod dicitur à diversitate men-  
tium, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt ma-  
trimonium) nihil aliud, quàm repudium & separatio con-  
iugum. d. l. 2. & 3. ff. de divort.

XC II.

Hoc fit vel mutua voluntate, vel voluntate alterius.  
Mutua voluntate olim matrimonium dissolvi potuit a, at  
postea Imperator Iustinianus hoc ex sola castitatis causa  
permisit b.

a arg. l. penult. ff. ad l. Iul. de adult. & l. si constante 9.  
C. de repud. b iuxta novell. 117. cap. 10.

XC III.

Iure autem pontificio hoc indistinctè prohibetur, &  
rectè, quia quos Deus coniunxit homo separare non de-  
bet. c. ult.

*c. ult. cum ibi not. ext. de transact. c. Quos Deus 33. q. 2.  
XCIV.*

Alterius voluntate repudium mittitur, aut per libellum coniugi datum, missumve ad domum eius.

*l. licet 6. C. de repud.*

*XCIV.*

Non autem mittitur nisi ex iustis causis, alioqui est iniusta repudii actio, ut not. Cuiac. in d. novell. 22.

*XCVI.*

Iustæ causæ aliæ sunt ex parte mariti, aliæ ex parte uxoris. Ex parte mariti sunt, si cum aliena uxore fuerit deprehensus, si fuerit sacrilegus, vel plagiarius, si servilibus verberibus uxorem affecerit.

*l. consensu 8. C. de repud. d. novell. 117.*

*XCVII.*

Ex parte uxoris iustæ causæ sunt, si adulterii in præsentis matrimonio commissi damnetur, vel etiam si condemnetur adulterii commissi in priori matrimonio.

*l. miles 11. §. ult. ff. ad l. Iul. de adult. Plures causæ recensentur in d. l. 8. C. de repud. & d. novell. 22. c. 15. Vide constit. Imper. Leon. 30. & 31.*

*XCVIII.*

Soluto autem matrimonio dos repetitur & donatio propter nuptias. Dos repetitur actione ex stipulatu, quæ adversus maritum instituitur.

*l. unica §. 1. C. de rei uxor. act.*

*XCIX.*

Ex donatione quoque propter nuptias mulieri ad rem persequendam competit actio, & ad eam retinendam exceptio.

*l. si ante matrimonium 8. C. de donat. ante nupt.*



C.

Quod si nuptiæ, propter quas donatum est, non sint sequutæ repetitio rei donatæ etiam marito datur: Sed etsi sequutæ sint nuptiæ, postea tamen sine mariti culpa iterum solutæ adhuc marito competit repetitio.

*l. 2. C. de donat. ante vel propter nupt. d. l. consensu,  
8. §. virum etiam C. de repud.*

## C O R O L L A R I A.

I.

QVæritur, si clandestinum matrimonium p<sup>u</sup>re contractum sit inter partes, postea mutata alterius partis voluntate, publicum cum alio ritè contrahatur, an in præiudicium secundi matrimonii astrui possit primum? Et obtinuit non posse, modò aliter, quam per confessionem probari non possit.

*c. adolescens, ext. de sponsal. Hostiens in §. utrum clandestina, de sponsal. vide D. Luther. in libello Von Ehesachen / Schneid. part. 1. num. 24. de nupt. c. 2. de clandest. de spons. ubi Panor.*

II.

Dubitari potest, si contrahentes diversi sint fori, ut si Noribergensis cum Ienensi hic contrahat, an attendi consuetudo loci contractus vel mariti debeat? Et statuimus circa solennitatem contrahendi esse attendendum contractus locum. In observandis verò post contractum & impletum

tum



309  
tum matrimonium fori mariti consuetudinem b.  
Gaudeat ergo si ipsius statutum aliquod dotis lu-  
crum ipsi tribuit.

a *Panor. in c. 1. num. 10. ext. eod. l. si fun-  
dus ff. de evict. l. 1. §. in honorarijs ff. de var. & ex-  
traord. cognit. Felin. in c. 1. num. 23. ext. de sponsal.*

b *l. exigere dotem ff. de iud. Bart. in l. 1. C.  
de sum. trin. & fid. Cathol. num. 17. Schneid. in  
tract. de success. vir. & uxor. Inst. de success. ab in-  
test. num. 1.*

PROBLEMA THEOLOGICVM  
ET PHYSICVM.

An perpetuò verum sit, vulgò quod dicitur,  
Fato Connubia fiunt?

P A R A D O X O N.

Non assentimur doctissimo Alciato, qui præ-  
mia πολυπαιδίας Constitutione Honorii &  
Theodosii, sublata esse contendit.

*Borcholt. in tract. de gradib.*

F I N I S.



... in ...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...

PROBLEMA THEOLOGICVM

An ...  
...

P A R A D O X O N

...  
...  
...  
...  
...

P A R T I S



Jura, Diss., 1573-1600

ULB Halle 3  
003 609 308



S  
Sb.





0788.

72. 1592, 1

3  
198  
81

CENTURIA CON-  
CLUSIONVM,

**DE SPONSALIBVS**  
ET NVPTIIS,

EX IVRE CIVILI ET CANONICO,  
QV AS  
D. T. O. M. A.

PRAESIDE  
MAGNIFICO, NOBILISSIMO  
ET CLARISSIMO VIRO DN. 3

**NICOLAO REVSNERO IC. IL**  
LVSTRISSIMORVM DVCVM SAXONIAE  
CONSILIARIO, ET IN ILLVSTRI SALANA  
ACADEMIA IENENSI COLLEGII IV-  
RIDICI SENIORE, ET ANTE-  
CESSORE PRIMARIO &C.

PRO GRADV DOCTORIS IN  
VTROQVE IVRE CON-  
SEQVENDO,  
PROPONIT PVBLICE DI-  
SPVTANDAS

**IACOBVS STINTIVS**  
HAMBVRGENSIS,  
ADD. XI. KALEND. IANVARI, I  
MANE HORA VII. IN NOVA ACRO-  
ASI IVRISCONSULTORVM.  
ANNO CHRISTI *θεαυθωρε*  
CIO IO XCII.

IENAE TYPIS TOBIAE STEINMANNI.

*Clarissime virtute, et omnium artium doctrina ac sciam huius  
ambitioso viro, dno. Othoni Schurzleberg, philosopho*

